

tur, aër non inspiraret, omnia Sol suo calore subsistentia destrueret. Sed & aqua frigiditate & humiditate sua omnia destrueret, nisi intercederet aër. Aër itaque cum calidus & siccus sit, sic concordat calorem ignis coelestis & stellarum cum frigiditate aquea, vt inter eos perpetua sit mansura amicitia, omniumque rerum existentium procedat fomentum & decoctionis beneficium.

Ait T V R B A: Bene descripsisti ignem, persequere igitur.

Ait ille: Aëra magnifico & honorifico, eò quòd ipso opus emendatur, cum inspissat & rarefcit, & cum calefit & frigescit. Eius autem spissitudo fit, quando in cœlo distinguuntur propter Solis eleuationem. Eius verò raritas fit, quando ex altero Sole aër rarefcit & calefit. Illo verò rarefciente propè fit Sol: quo propinquo, calor peruenit homini & creaturis.

Ait ANAXAGORAS: Bene descripsisti aëra. At scitote Turba, quòd quatuor interiorum spissitudo in terra sola quiescit, eò quòd ignis spissum in aëra cadit, aeris verò spissum, & quod ex igne spisso congregatur, in aquam incidit. Aquæ quoque spissum, & quod ex ignis & aeris spisso coadunatur, in terra quiescit. Ita istorum quatuor spissitudo in terra quiescit inque ea coniuncta sunt. Ipsa ergo terra omnibus cæteris clementis spissior est, vti palàm apparet, & videre est. Ignis autem rarior est cæteris, & vti terra, quæ spissior, est inferior, ita ille superior & dignior. Aer verò minus rarus igne, aqua rursus minus rara quàm aer. Omne enim frigidum & humidum, est minoris raritatis, quàm calidum & humidum. Et minoris raritatis est terra quàm aqua, eò quòd est frigida & sicca: & omne frigidum & siccum minus rarus est, quàm frigidum & humidum.

Ait PYTHAGORAS: Bene aptastis, ô filij doctrinæ, harum naturarum descriptiones, ex quibus Deus omnia creauit. Persequimini ergo.

Ad hæc LVCAS ait: Notifico vobis, quòd ex his quatuor naturis, Deus omnia creauit, & omnia creata in eas reuertuntur: in his generantur & moriuntur suo tempore, prout Deus destinauit.

▲it